



DE ALTARIS CONSECRATIONE, QUÆ FIT SINE ECCLESIAE DEDICATIONE.

Altaris consecratio, quamvis omni die de jure fieri possit, decentius tamen in Dominicis diebus, vel Sanctorum solemnitatibus fit. Sane sero ante diem consecrationis, Pontifex parat Reliquias in altari consecrando includendas, ponens eas in decenti et mundo vasculo, cum tribus granis thuris; ponit etiam in eo chartulam de pergameno, scriptam sub hac forma:

M. DCCC. . . . etc. die N. mensis N. Ego N. Episcopus N. consecravi altare hoc in honorem sancti N. et Reliquias sanctorum Martyrum N. et N. in eo inclusi, et singulis Christi fidelibus, hodie unum annum, et in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsum visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia, in forma Ecclesiae consueta concessi.

Sigillans ipsum vasculum diligenter, et in honesto et mundo loco ponens, cum duobus candelabris, et luminaribus ardentibus. Celebrandæque sunt Vigiliæ ante Reliquias ipsas, et canendi Nocturni, et Matutinæ Laudes, in honorem Sanctorum, quorum Reliquiæ sunt recondendæ.

Parantur etiam in Ecclesia, quæ ad altaris consecrationem sunt necessaria, videlicet sanctum Chrisma in vasculo, et ampulla; oleum sanctum Catechumenorum, etiam in vasculo, et ampulla; una libra thuris, cujus medietas sit in granis; thuribulum cum navicula, et cochleari; vas cum prunis ardentibus, vas aqua plenum, quod in presbyterio ponitur; vas cum cineribus; vas cum sale; vas vini; aspersorium factum de herba hyssopi; mantilia ex tela grossa, ad extergendam mensam altaris consecrandi, quoties expedierit; coopertura linea cerata ad mensuram ipsius altaris consecrandi; quinque cruces parvæ factæ de candelis ceræ subtilibus; aliquæ spatulæ ligneæ parvæ, ad abradendum de altari combustiones candelarum, et thuris; vas, in quo ipsæ rasuræ deponantur; calx, arena; sive tegula trita ad faciendum cæmentum, pro liniendo sepulchro Reliquiarum, et junctura mensæ altaris cum stipite; cæmentarius, qui hoc agat; duo intortitia accensa, quæ semper præcedant Pontificem, quocumque ierit; vas cum aqua, ad ablendas manus Pontificis; et medulla panis, ac mantilia, pro extergendis manibus; bombyx pro extergenda cruce, quæ fit in stipite altaris; tobaleæ novæ mundæ; et vasa, atque ornamenta ad cultum Dei, et altaris, postquam consecratum fuerit, pertinentia benedicenda.

Pontifex mane in suo habitu quotidiano venit ad Ecclesiam, et sedens in sede ad dexteram, vel in faldistorio ad sinistram altaris consecrandi, incipit et dicit voce submissa cum clericis septem Psalmos cum Antiphona: *Ne reminiscaris*, etc. pag. 62., sine Litanis. Induens interim amictum, albam, cingulum, stolam, et pluviale albi coloris, accipiens mitram simplicem in capite, et baculum Pastoralem in manu sinistra. Sicque paratus, septem Psalmis expletis, Pontifex cum ministris accedit coram altari consecrando; ubi depositò baculo Pastoralis, et stans sine mitra inchoat, et schola prosequitur sequentem Antiphonam:

Antiph. Adesto Deus, unus omnipotens, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.

Deinde dicit, stans eodem modo:

Orémus.

Actiões nostras, quæsumus Dómine, aspirando præveni, et adjuvando proséquere: ut cuncta nostra oratio, et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

Qua dicta, Pontifex accepta mitra, procumbit super faldistorium ibidem præparatum, et cantores incipiunt Litanias pag. 18., vel cantoribus deficientibus, Pontifex eas legit, in quibus suo loco nominetur bis Sanctus ille, in cujus honore, et nomine dedicatur ipsum altare, et illi, quorum Reliquiæ in eo includuntur. Postquam autem dictum fuerit:

Ut ómnibus fidélibus, etc.

R. Te rogámus, audi nos.

Pontifex ab accubitu surgit, et baculum Pastoralem in sinistra tenens, dexteram in altum extendens, producit communiter super aram, et stipitem altaris consecrandi ter successive signum crucis, dicens primo:

Ut altáre hoc ad honórem tuum, et nomen Sancti **N.** consecrándum bene ✠ dícere dignéris.

R. Te rogámus, audi nos.

Secundo dicit:

Ut altáre hoc ad honórem tuum, et nomen Sancti **N.** consecrándum bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre dignéris.

R. Te rogámus, audi nos.

Tertio dicit:

Ut altáre hoc, ad honórem tuum, et nomen Sancti **N.** consecrándum bene ✠ dícere, sancti ✠ ficáre, et conse ✠ cráre dignéris.

R. Te rogámus audi nos.

Quo dicto, et deposito baculo Pastoralis, iterum accumbit super faldistorium, et perficiuntur Litanie. Quibus finitis, ab accubitu surgit, et cum mitra accedit versus altare consecrandum, et distans ab illo spatio congruenti, deposita mitra, genuflexus dicit cantando, si in cantu fit officium, alioquin competenti voce dicit sine notis quod etiam in omnibus aliis sequentibus observatur.

Deus, in adjutórium meum inténde.

Quo dicto, Pontifice surgente, chorus seu ministri respondent:
Dómine, ad adjuvándum me festína.

Tunc Pontifex stans sine mitra in eodem loco, dicit:

Glória Patri, et Filio, et Spirítui sancto.

Chorus, seu ministri respondent:

Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sácula sæculórum. Amen.

Sine Allelúja. Et id eisdem modo et loco, secundo et tertio fit, voce semper altius elevata. Quibus dictis, Pontifex stans in eodem loco cum mitra benedicit aquam cum sale, cinere, et vino, incipiens absolute exorcismum salis; et faciens, prout habetur supra sub Ecclesiæ Dedicatione, pag. 131. usque ad Orationem.

Omnipotens sempitérne Deus, creátor, et conservátor humáni géneris, etc. *inclusive.*

Post hæc Pontifex procedit ad altare cum mitra, et ibidem inchoat, schola prosequente, Antiphonam sequentem:

Introibo ad altáre Dei: ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Psalmus 42.

Júdica me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta: * ab hómine iníquo et dolóso érué me.

Repetitur tota Antiphona prædicta si necesse fuerit.

Quia tu es Deus fortitúdo mea: * quare me repulísti, et quare tristis incédo, dum affligit me inimicus?

Iterum repetitur Antiphona.

Emítte lucem tuam, et veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt et adduxérunt in montem san-

Et non dicitur Glória Patri, sed Antiphona prædicta repetitur:

Incepta prima Antiphona, Pontifex, retenta mitra, stans ante altare, intingit pollicem dexteræ manus in aqua prædicta per eum benedicta, et cum eo, et aqua hujusmodi facit crucem in medio tabulæ altaris, dicens:

Sancti ✠ ficétur hoc altáre, in honórem Dei omnipoténtis, et glóriósæ Vírginis Mariæ, atque ómnium Sanctórum, et ad nomen ac memóriam sancti **N.** In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ sancti. Pax tibi.

Deinde facit ex eadem aqua cum eodem pollice quatuor cruces in quatuor cornibus altaris, repetens in qualibet cruce verba præmissa.

Sancti ✠ ficétur hoc altáre, etc.

Facit autem primam crucem in dextera parte posteriori altaris, id est, ubi legitur Evangelium, secundam in sinistra parte anteriori transversa primæ, tertiam

ctum tuum, et in tabernácula tua.

Antiphona tota repetitur.

Et introibo ad altáre Dei: * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.


Iterum repetitur Antiphona.

Confitébor tibi in cithara, Deus Deus meus: * quare tristis es ánima mea, et quare contúrbas me?

Repetitur ut prius Antiphona:

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

in dextera anteriori, quartam in sinistra posteriori tertiæ transversa in hunc modum:



Quo facto, et finitis Antiphona et Psalmo prædictis, Pontifex stans ibidem, deposita mitra, dicit:

Orémus. Et ministri: Flectámus genua. **R.** Leváte.

Singuláre illud propitiátorium in altári crucis pro nobis rediméndis oblátum, in cujus præfiguratióne Patriárcha Jacob lápidem erexit in título, quo fieret sacrificium, et portæ cœli désuper aperirétur oráculum; súpplices tibi, Dómine, preces fúndimus, ut lápidis hujus expólitam matériam, supérnis sacrificiis imbuéndam, ipse tuæ ditári sanctificatiónis ubertáte præcípias, qui quondam lapideis legem scripsísti in tábulis. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

Oratione expleta, Pontifex circuit septies tabulam altaris, aspergens eam, et stipitem de aqua prædicta cum cinere et vino benedicta, cum aspersorio de herba hyssopi facto, hoc modo. Stans enim ante medium altaris inchoat Antiphonam, et schola prosequitur:

Aspérge me, Dómine. Quæ tota dicitur, et repetitur cum Psalmo Miserére, eo modo, prout supra, pag. 135. de Consecratione altaris in Ecclesiæ Dedicatione ordinatum est. Quo facto, Pontifex stans sine mitra ante medium altaris, dicit:

V. Dómine exaúdi oratióne meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

V. Dóminus vobíscum. **R.** Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, qui es visibílium rerum ómnium et invisibílium cónditor, et cunctárum sanctificatiónum consecrátor, ad dedicatióne hujus Domínicæ mensæ adesse dignáre; et quæ sacráto óleo, et Chrísmate a nobis indignis est liniénda, et benedicénda, tuæ sanctificatiónis in eam infúnde virtútem et consecratióne; ut omnes qui ad eam te deprecáturi accésserint, tuæ propitiatiónis auxiliú sentiant. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

Deinde ibidem cum præmissa aqua benedicta facit maltam, seu cæmentum, quod mox deposita mitra benedicit, dicens:

V. Dóminus vobíscum. **R.** Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Summe Deus, qui summa, et média, ímaque custódis, qui omnem creatúram intrínsecus ambiéndo conclúdis, sancti ✠ fica, et béne-
dic has creatúras calcis, et sábuli. Per Christum Dóminum nostrum.

Cæmentum benedictum reservatur, sed residuum aquæ benedictæ funditur ad basim, sive pedem stipitis altaris per circuitum; Pontifex deinde procedit processionaliter cum cruce, et clero ad locum, in quo nocte præterita conservatæ Reliquiæ fuerunt: sed priusquam locum ipsum ingrediatur, stans ab extra deposita mitra, dicit:

Orémus. Et ministri: **Flectámus gēna. R̄. Leváte.**

Aufer a nobis, quæsumus Dómine, cunctas iniquitates nostras; ut ad Sancta Sanctorum puris mereámur méntibus introíre. Per Christum Dóminum nostrum. **R̄. Amen.**

Ingressus vero sine mitra, stans juxta, et versus ad Reliquias, dicit:

Orémus.

Fac nos, quæsumus Dómine, Sanctorum tuorum tibi specialiter dedicata membra digne contingere, quorum patrocinia cupimus incessanter habere. Per Christum Dóminum nostrum. **R̄. Amen.**

Qua dicta, Pontifex sine mitra accipit reverenter vasculum Reliquiarum: tum, accepta mitra, portat eas solemniter et processionaliter ad altare consecrandum; vel, si sint super feretrum, per Sacerdotes ferri facit, inchoans, schola prosequente, Antiphonam.

Cum jucunditate * exhibitis, et cum gaudio deducemini, nam et montes, et colles exsiliant expectantes vos cum gaudio, allelúja.

Poterit deinde etiam dici, si expedierit, sequens Responsorium:

Súrgite, Sancti Dei, de mansionibus vestris, loca sanctificate, plebem benedicite, * Et nos homines peccatores in pace custodite. V̄. Ambulate Sancti Dei ad locum prædestinatum, qui vobis præparatus est. * Et nos homines.

Cumque pervenerit prope ipsum altare, deponit eas reverenter cum luminaribus super feretrum vel aliquam tabulam honeste ibidem paratam, luminaribus juxta illas ardentibus, et mox Pontifex cum mitra stans prope altare inchoat, schola seu ministris prosequentibus, Antiphonam.

Exsultabunt Sancti * in glória: lætabuntur in cubilibus suis.

Psalmus 149. Cantate Dómino canticum novum: * laus ejus. pag. 146.

Deinde **Ps. 150.** Laudate Dóminum in Sanctis ejus: * laudate eum, ut supra, pag. 146. sine Glória Patri, in fine utriusque, sed his Psalmis dictis, Antiphona repetitur. Qua finita, Pontifex, deposita mitra, stans versus ad altare, dicit:

Orémus.

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens ac benignus dedicator assistis, exaudi nos, quæsumus, et concede, ut inviolabilis permaneat hujus loci consecratio; et beneficia tui muneris, universitas fidelium quæ tibi supplicat, percipere mereatur. Per Christum Dóminum nostrum. **R̄. Amen.**

Et mox Pontifex, accepta mitra, signat cum pollice dexteræ manus de Chrismate confessionem, id est, sepulchrum altaris, in quo Reliquiæ sunt rependæ, in quatuor angulis; faciens in singulis signum crucis, et dicens, dum unamquamque crucem facit:

Conse * crétur, et sancti * ficétur hoc sepúlchrum. In nómine Pa * tris, et Fí * lii, et Spíritus * sancti. Pax huic dómui.

Deinde, deposita mitra, recondit ibi vasculum cum Reliquiis et aliis in eo inclusis veneranter, inchoans, schola seu ministris prosequentibus, Antiphonam:

Sub altáre Dei * sedes accepístis, Sancti Dei, intercédite pro nobis ad Dóminum Jesum Christum.

V̄. Exsultábunt Sancti in glória.

R̄. Et lætabúntur in cubilibus suis.

Et non dicitur Glória Patri, sed repetitur Antiphona. Interim dum præmissa dicuntur, Pontifex stans sine mitra, imposito, et benedicto incenso in thuribulo, et illo a Diacono accepto, thurificat Reliquias inclusas: quo facto, imposita sibi mitra, accipiens lapidem, seu tabulam, cum qua debet claudi sepulchrum, facit cum pollice crucem de Chrismate in medio ejus de subtus, dicens:

Conse * crétur, et sancti * ficétur hæc tábula, (vel hic lapis) per istam unctiónem, et Dei benedictiónem. In nómine Pa * tris, et Fí * lii, et Spíritus * sancti. Pax tibi.

Et mox ponit, et coaptat tabulam, seu lapidem super sepulchrum, claudens illud, et inchoans, schola seu ministris prosequentibus, Antiphonam:

Sub altáre Dei * audívi voces occisórum dicéntium: Quare non deféndis sánguinem nostrum? et accepérunt divínium respónsum: Adhuc sustinéte módicum tempus, donec impleátur número fratrú vestrórum.

Alia Antiphona:

Córpóra Sanctorum in pace sepulta sunt: et vivent nómina eórum in ætérnum.

V̄. Glória Patri, et Fílio, et Spíritui sancto.

R̄. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Post hæc Pontifex, deposita mitra, dicit:

Orémus.

Deus, qui ex ómnium cohabitatione Sanctorum ætérnum majestati tuæ condis habitáculum, da ædificatióni tuæ incrementa cœlestia: et præsta; ut quorum hic Reliquias pio amore compléctimur, eórum semper méritis adjuvémur. Per Christum Dóminum nostrum. **R̄. Amen.**

Tunc, accepta mitra Pontifice prius incipiente, cæmentarii cum cæmento benedicto firmant ipsam tabulam seu lapidem super sepulchrum: deinde Pontifex facit crucem desuper ex Chrismate cum pollice dexteræ manus, dicens:

Signé * tur, et sancti * ficétur hoc altáre. In nómine Pa * tris, et Fí * lii, et Spíritus * sancti. Pax tibi.

Tum; deposita mitra, inchoat, schola seu ministris prosequentibus, Antiphonam:

Stetit Angelus * juxta aram templi habens thuribulum aúreum in manu sua; et data sunt ei incénsa multa; et ascéndit fumus arómátum in conspéctu Dei. Allelúja.

Interim cum mitra thurificat altare undique ad dexterum et sinistrum latus, ante et desuper, donec præmissus cantus finiatur; quo finito, stans coram altari sine mitra, dicit:

Orémus.

Dirigátur orátio nostra, quæsumus Dómine, sicut incensum in conspéctu tuo, et copiósia beneficia christiánus pópulus assequátur; ut quicumque tibi in hoc altári sacránda libámina devótus obtúlerit, vel sacráta suscepit; et vitæ subsidia præsentis accipiat, et remissionem ómnium peccatórum páriter consequátur, et grátiam sempitérnæ redemptionis percipiat. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

Post hæc Pontifex, accepta mitra, sedet, et ministri extergunt mensam altaris cum linteo mundo, et mox Pontifex thurificat super illam in modum crucis in medio, et in quatuor ejus cornibus; quo facto, Pontifex ponit iterum incensum in thuribulo, et illud benedicit, ut supra, videlicet, Ab illo benedictis, etc. ac tradit uni Sacerdoti superpelliceo induto, qui continue altare circuit, incensando, donec consecratio perficiatur, excepto eo tempore, quo Pontifex illud incensat; tunc enim Pontifici thuribulum præsentat; et per Pontificem thurificato, illud iterum accipit, et, ut prius, incensat. Tum Pontifex adhuc cum mitra stans inchoat, schola seu ministris prosequentibus, Responsorium:

Dirigátur orátio mea sicut incensum in conspéctu tuo Dómine.

V. Elevátio mánuum meárum sacrificium vespertinum.

Quod dum cantatur, Pontifex circuit ter altare ad dexteram continue thurificando. Finita incensatione, Pontifex inchoat, schola sive ministris prosequentibus, Antiphonam:

Eréxit Jacob lápidem in título, fundens óleum désuper: votum vovit Deo Jacob.

Psalmus 83.

Quam dilécta tabernácula tua Dómine virtútum: * concupiscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Repetitur Antiphona.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Repetitur Antiphona.

Etenim passer invénit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Repetitur Antiphona.

Altária tua Dómine virtútum: * Rex meus, et Deus meus.

Repetitur Antiphona.

Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine: * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Repetitur Antiphona.

Beátus vir, cujus est auxiliú abs te: * ascensiones in corde suo dispósuit in valle lacrimárum in loco, quem pósuit.

Repetitur Antiphona.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Repetitur Antiphona.

Dómine Deus virtútum exaúdi oratióem meam: * aúribus percipe Deus Jacob.

Repetitur Antiphona.

Protéctor noster aspice Deus: * et respice in faciém Christi tui:

Repetitur Antiphona.

Quia mélior est dies una in átriis tuis, * super millia.

Repetitur Antiphona.

Elégi abjectus esse in domo Dei mei: * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Repetitur Antiphona.


Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus: * gratiam, et gloriam dabit Dominus.

tem diligit Deus: * gratiam, et gloriam dabit Dominus.

Repetitur Antiphona.

Non privabit bonis eos, qui ambulat in innocentia: * Dñe virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Et non dicitur Glória Patri, sed Antiphona repetitur. Dum Antiphona et Psalmus prædicti dicuntur, Pontifex stans cum mitra, intingit pollicem dexteræ manus in oleum Catechumenorum, et cum eo facit quinque cruces, videlicet in medio altaris, et in quatuor ejus cornibus, in locis in quibus fecerat cruces de aqua benedicta, videlicet primam in medio altaris, secundam in dextero posteriori, id est, Evangelii, tertiam in sinistro anteriori, quartam in dextero anteriori quintam in sinistro posteriori, hoc ordine:



Dicens dum singulas cruces facit:

Sancti ✠ ficétur, et conse ✠ crétur lapis iste. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ sancti, in honórem Dei, et gloriósæ Virgínis Mariæ, atque ómnium Sanctórum, ad nomen, et memóriam Sancti N. Pax tibi.

Deinde Pontifex, accepto thuribulo a Sacerdote altare incensante, imposito, et benedicto, ut prius, incenso, stans cum mitra inchoat, schola seu ministris prosequentibus, Responsorium:

Dirigátur orátio mea sicut incensum in conspéctu tuo Dómine.

V. Elevátio mánuum meárum sacrificium vespertinum.

Quo incepto, Pontifex circuit semel altare ad dexteram, thurificando illud: deinde restituto thuribulo Sacerdoti, et Responsorio finito, sine mitra, dicit:

Orémus. Et ministri: **Flectámus genua. R.** Leváte.

Adsit, Dómine, misericordiæ tuæ ineffábilis pietas, et super hunc lápidem opem tuæ bene ✠ dictionis, et virtútem tuæ unctiónis infúnde; ut te largiénte, réferat præmium quisquis intúlerit votum. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

• Oratione finita, Pontifex inchoat, et schola seu ministri prosequuntur, Antiphonam:

Mane surgens Jacob erigebat lápidem in título, fundens óleum désuper: votum vovit Dómino: vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam.

Psalmus 91.

Bonum est confitèri Dómino, * et psállere nómini tuo Altissime.

Repetitur Antiphona.

Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, * et veritatem tuam per noctem.

Repetitur Antiphona.